



241,398.

1731 1754

DECAS  
**DESIDERIO-  
RVM JURI-  
DICORVM**

QVAM

*PRAESIDE*

**IO. FRIDERICO WERNHERO, D.**

PAND. PROF. PVBL. CVR. PROV. ET  
SCABIN. NEC NON FAC. JVRID. ASSESS.  
SVBST.

PVBLICE VENTILANDAM

**IN AVDITORIO JCTORVM**

*D. III. ID. IVL. MDCC XXXI.*

PROPONET

**JOHANNES AVGVSTVS EICHLERVS,**

GRVHN. MIS.

*VITEMBERGAE*

EX OFFICINA IOH. CHRISTIANI GERDESII.



DECVS  
DESIDERIO  
RVM JARI  
DICORVM

IO FRIDERICO WERNHERO D.  
P. A. S. S. I. D. S.  
P. A. S. S. I. D. S.  
P. A. S. S. I. D. S.

IN AVDTORIO ICTORVM  
D. III. ID. IUL. MDCC. LXXV.  
PROFONET  
JOHANNES AVGVSTVS FICHLERVS  
GRAVIN. MIS.

EX OFFICINA ION. CHRISTIANI GERDSE  
P. A. S. S. I. D. S.





Q. D. B. V.

DESID. I.

**O**ptandum, ut Sacrosancti Divini Nominis, pariter, atque conscientiae tam propriae, quam alienae, ita rationem semper habeant iudices, ne, juris subtilitatibus, aut etiam rebus iudicatis, similibusve, moti, in contrarium quid admittant. Ita jura sunt colenda, ne DEVM injuria afficiamus.

*Rat. 1. Matth. XV. 2. & 6. prohibetur abrogatio legis div. ob traditiones humanas. Abolemus autem Jus divinum, & in specie præceptum decalogi secundum, si plus rei iudicatæ, quam illi, tribuimus.*

2. Alienæ conscientiae, etiam in adiaphoris, consulendum esse, monet Apostolus *1. Cor. X. 27. 28.*

3. Nulla vis legis hum. tollere div. jus potest, cum inferiori nihil liceat in legem superioris.

4. Rei iudicatæ auctoritas ex quasi contractu derivatur, sed nec jura civilia turpem contractuum explicationem probant.

5. Jurisprudentiæ finis esse debet justitia; sed misera justitia est, quæ cum profanatione div. Nominis, quo nihil sanctius nobis esse debet, & pejerandi occasione, nec non salutis periculo, conjuncta. Ita justitia redditur vinculum injustitiæ, & quæ DEI gloriam communemque salutem promovere debebat, ædificat ad gehennam.

6. *Non oportet jus civile calumniari, neque verba captari; sed, qua mente quid dicatur, animadvertere, convenit. l. 19. ff. ad exhib.*

*Exempla* occurrunt inprimis in juramentis, ubi quandoque in termino juratorio palpabile redditur, sub verborum involucri lucro reservationes mentales tegi, siquidem juraturus paratus interdum est, ad præstandum jusjurandum, in formula per sententiam injuncta. Sed, si adversarius declinandæ reservationis ergo temperari formulam roget, juraturus plerumque juramentum recusat. At cur recusat, si consci-

entia integritate munitus? Nihilominus iudices crebro admodum iustum pronunciant, juramentum ita præstandum, prout conceptum, & per sententiam injunctum est. Ajunt, militare pro juraturo rem judicaram, imputare sibi alterum debere, quod non cautius in deferendo jurejurando sit versatus. Admittunt ergo, non attentis adversa partis monitis, jurantem. Ita jure instar decipularum turpiter abutuntur, quibus incauti, aut imperiti, ex sola verborum captatione, id est, calumnia, suis facultatibus, justisque actionibus, emunguntur, animæ manifesto periculo illaqueantur, morsusque conscientia in jurante teterrimi efficiuntur. Multis aliis in capitibus iidem sacrae formulæ habentur v. g. in juramento calumniae & editionis, voces: *gefährlicher weise* &c. quas sane vulgus nec intelligit. Alias autem clari-ores v. g. *mit Fleiß nicht von Händen kommen lassen, oder weggeschaffet*, &c. substituere, styllumque Curia, tot annis probatum, mutare, rursus religioni ducunt; temerarii vero, nec intellectis, juramenti ansam dare, & fas in nefas vertere, non dubitant.

**DESID. II.**  
Optandum, formulam juramenti vulgarem: *So wahr* &c. in tales mutari formulas, quæ ipsam juramentorum vim, penasque perjuris metuendas, disertis verbis expriment, & vulgi captui accommodent. Nec male forte Clerici in omnibus juramentis adhiberentur.

*Rat. 1.* Miserrimas quandoque de vitando perjurio audias admonitiones. v. g. quinque digitos portendere Tres Deitatis Personas, animam & corpus &c. Cum itaque nec formula juratoria vim gravitatemque rei satis exprimat, & iudex officio desit, utique aliter fieri non potest, quam ad juramenta & perjuria proclives admodum reddi homines leves.  
*2.* Non frustra hæc moneri, patet exemplo nonnullorum locorum, ubi duplex formula, una pro rusticis, variis diris referta, (*Bauern-Eyd*) altera pro honoratioribus, habetur, & sæpius fit, ut, qui ad juramentum se offert, illud in formula vulgari quidem, sed non ea, quæ rusticis præscripta, jurare sit paratus.

*Exemplum:* Memini casum, ubi Advocatus ira jusjurandum derulerat: *daß die Sache sich wahrhaftig also ver-  
hal*

halte, und Bellagter, im Fall er falsch, oder auf etwas anders, als die Worte lauten, in Gedanken sich schwöhre, sich Gottes erschreckl. Form und allem Unsegen, nebst zeitlichen und ewigen unausbleibenden Straffen, unterwerffe. Hanc juramenti delationem, ceu stylo curiæ adversam, nimisque diris repletam, judices rejecerunt, quam tamen tolerari potuisse, puto, cum revera admonitionem de perjurio vitando contineat.

DESID. III.

Dolendum, multa perjuria impunita relinqui, & nomine DEI temere atque impune interdum uti, fas esse.

*Exemplum I.* est in Cambiis, eorumque formulis: **nehme Gott zu Hülffe**, similibusque, licet enim sæpe, debitorem initio dolum fuisse meditatum, neque de solutione faciendam unquam cogitasse, appareat, nihilominus ad hoc manifestum perjurium, certe insignem div. nominis abusum, perpetuo connivetur.

*Exemplum II.* est in Notariorum instrumentis, qui, quamvis sine ullo interiori cordis affectu, prout tamen semper fieri par est, invocationem DEI instrumentis præmittere soleant, nihilominus istam, ex nonnullorum sententia, etiam loco formæ, requirimus, perinde, ac si nomen div. solennitatis causa invocandum esset.

DESID. IV.

Relegationem, aut simplicem, aut fustigationi conjunctam, penitus abrogari, & in aliam pœnam mutari, pariter optandum.

*Rat. dub. 1.* Publice interest, alios pœna publ. deterreri; id vero commodius, qv. per ejusmodi pœnas, fieri non potest.

2. Optimum factu, homines plane incorrigibiles territoriiis exterminari.

*Rat. decid. 1.* Hominum vagabundorum, quibus relegatio sæpius dictatur, parum interest, in quo territorio commorentur, adeoque finem pœnæ non assequimur.

2. Pœnarum finis debet esse emendatio, sed per fustigationem delinquentes, si opifices, similesve sint, redduntur inhabiles ad victum in posterum honeste sibi quærendum. Ergo deinde illicito se quæstui dant, atque ita, loco intentæ emendationis, in quævis facinora ruunt.

3. Aliæ pœnæ publicæ, minus tamen famosæ, constitui possunt.
4. Nostris terris improbos expellimus, aliunde vero ejectos vicissim recipimus, adeoque mutua territoriorum conditio per relegationem delinquentiam melior haud redditur.

DESID. V.

Mercatores adulterantes esculenta, potulenta, & similia, instar furum, aut certe gravissime coërceri, non injustum, sed optandum. Leges enim hæcenus extantes huic malo partim ob pœnas justo mitiores, partim ob negligentiam, non sufficere videntur. In constitutionibus Imperii ob vini adulterationem sæpius deliberatum. Vid. MULLER. *Reichs-Tags-Theatr. Maxim. I. P. II. p. 52.* Et in specie prostat *Const. Imp. de anno 1487. apud. eund. Reichs-Tags-Theatr. Vorstellung VI. Cap. 35. p. 152.* Variæ rursus pœnæ constitutæ *Rec. Imp. 1497. tit. 2. seqq.* eæque repetitæ *Rec. Imp. 1500. tit. 30. & Ord. Polit. 1577. tit. 16.* Ibidem etiam *tit. 24.* de adulteratione aromatum agitur, sed levis confiscationis pœna statuitur.

*Rat. 1.* Furum crimen nullum aliud est, quam, quod res alienas auferant. At nec impostor aliud quid agit, quam ut aliena sub justo titulo injuste rapiat.

2. Fures diligenti rerum custodia possunt arceri. Mercatorum fraudes ob quotidianam mercium indigentiam, & quia paucis accurate rerum qualitates indagare licet, nec declinari possunt, sed præsentibus bona dominorum gratia pecunia subtrahitur.

3. Fures res saltem auferunt. At esculentorum, similiumque, adulteratores & homines pecunia emungunt, & gravissimos plerumque morbos irreparabili valetudinis damno emtoribus accerfunt. De quibus tristissima apud Medicos hinc inde deprehendas exempla. *Conf. TEICHMEIER. Inst. Med. legal. cap. 20. qv. 4.* ubi commemoratur ante plane inauditus morbus, vocatus, **die Wein-Krankheit**, per edulcorationem vini, mediante lithargyrio, productus.

4. Gravissima remedia res ipsa, & inprimis cum frequentia criminis, tum subtilius homicidium, quo multi nil quicquam tale timentes pereunt, postulare videntur.

DESID. VI.

In iudices quoque, corrumpi se patientes, pœnam capitalem, aut gravissimam, statui, laudabile foret.

*Rat.*



*Rat. 1.* Quo major prae-textu officii, justitiaeque, quae cuivis sanctissima esse debet, occasio delinquendi, miserisque opprimendi, se offert, & quo rarius hoc crimen detegi potest, cum oppresso major calamitas, injuriarum actio, & omnium malorum Lerna sit metuenda, eo gravius ejusmodi iudices merito coercendi.

*2.* Concurrit etiam furtum & turpe perjurium; imo furto majus est hoc crimen, dum iis, qui ad justitiae tribunal, ceu sacram anchoram, confugiunt, non solum jus non redditur, sed etiam, quod debetur, sub recti specie, secus, ac ipsi latrones facere solent, aufertur. Neque analogiae juris repugnat, eum, qui directo contra officium delinquit, ultimo afficere supplicio. Exemplo sunt milites, administratores reddituum jurati, &c.

*DESID. VII.* Clericis salarium, in pecunia numerata, vel aliis determinatis redditibus consistens, ne cum parochianis de eo litigare cogantur, assignari, optandum.

*Rat. 1.* Cura rei rusticae & familiaris advocat ipsos plerumque a negotiis sacris, ut officio suo, prout debebant, fungi haud meminerint, aut remissius agant.

*2.* Lites cum parochianis tantum plerumque odium mutuum excitant, ut omnes actiones sacrae fructu suo careant, ipsi etiam pastores quandoque affectu abrepti varie impingant, labemque muneri aspergant.

*3.* Plurimi homines causam & personas distinguere nesciunt, et hinc non parum deinde officium sacrum turbatur.

*DESID. VIII.* Dolendum, plurimorum delictorum poenas tor, iisque non raro impiis, aut ridiculis, DD. limitationibus involvi, ut scelera nefanda non leve inde fortiantur praesidium, & vel plane saepius impunita maneant, aut levisime puniantur, atque ita leges elidantur. Optandum ergo, leges ita concipi, ut simul mitigandi causas probatas comprehendant, & reprobandas damnent.

*Exemplum est ap. CARRZOV. Pr. Crim. qu. 45. n. 76.* ubi pravum loquendi usum atque lasciviam inter causas mitigandae poenae, in atrocissimo blasphemiae crimine, refert. Huc etiam vulgaris limitatio de ira pertinere videtur, quippe

pe quæ *Levit. XXIV. 10. & 11.* sat clare repugnat. Certe ex  
l.c. valde restringenda illa limitatio. Complures ejusd. farine  
limitationes Jcti, forte non optima nota, in adulterii cri-  
mine invenerunt. Innumera propemodum alia prætereo.  
Pro cujusque enim motu nova parata est crimini executio.

DESID. IX.

Articulus nostri juris, Appellantem in criminalibus pla-  
no non audiri debere, itidem emendationem meretur.

*Rat. dubit. 1.* Ita delinquentibus integrum, quam longissime  
al de processum ducere. Iste del. quidam hanc. malis del.

*2.* Iphis loco appellationis defensio permittitur, ergo non  
op. opus est appellatione. non quibus sup. non. non qu.


*Rat. decid. 1.* Quamvis in Sax. nostra non opus sit hoc desi-  
derio, cum facilis ad justissima Summa tribunalia pateat re-  
kursus, & judices Apostolos præcise dare jubeantur, extra  
Sax. tamen iniquissime quandoque cum inquisitis agi, docet  
experientia, quibus ergo alio remedio destitutis, negato  
salutari appellationis beneficio, misere in squalore pereun-  
dum est. Ambagibus, quæ metuuntur, facile potest oboiam  
iri, si non processus appellatorius decernatur, sed illico  
pro re nata respondeatur a Judice superiori, vel alio modo  
inquisitis contra judicium iniquitatem succurratur.

*2.* Non bene coherent hæc: in causis civilibus, ubi de bonis  
agitur, permittitur appellatio, sed non in criminalibus,  
ubi de vita queritur.

DESID. X.

Illud quoque manifestam sapit iniquitatem, honoratoris  
conditionis hominem, si cum plebejo rixetur, ob mutuas in-  
jurias condemnari solere in multam majorem, v. gr. 10. vel  
20. *Thlr.* plebejum autem in minorem, e. gr. 1. vel 2. *Vsso.* ad  
summum.

*Rat.* Coercenda sane malicia plebejorum, qui gloriarî solent  
non solum de injuriis illatis, sed etiam majori pena dista-  
ra; adeoque triplex dignioris est injuria. Deinde gravior  
est injuria per plebejum honoratori illata, & facilius con-  
donandum huic est, quod affectu abreptus, vindicanda in-  
jurie; ergo, plebejo convitium dixerit.





Wittenberg, Diss., 1731  
X 237 1957

VD 18

ULB Halle 3  
007 506 007







241,393.  
1731 17254

DECAS  
**DESIDERIO-  
RVM JURI-  
DICORVM**

QVAM  
*PRAESIDE*  
**IO. FRIDERICO WERNHERO, D.**  
PAND. PROF. PVBL. CVR. PROV. ET  
SCABIN. NEC NON FAC. JVRID. ASSESS.  
SVBST.

PVBLICE VENTILANDAM  
**IN AVDITORIO JCTORVM**  
*D. III. ID. IVL. MDCC XXXI.*  
PROPONET  
**JOHANNES AVGVSTVS EICHLERVS,**  
GRVHN. MIS.

---

*VITEMBERGAE*  
EX OFFICINA IOH. CHRISTIANI GERDESII.

